



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídque is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637054


Discursus X. De horribili cum conscientia peccati mortalis
Communicantium Sacrilegio. Cùm quodvis monstrum proptet duas causas
sit horrendum, nimirum tam propter malum, quod à primo ortu suo secum

...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51667)

concedat. *Domine, semper da nobis panem hunc, ut dignam tam perfectâ refectioe degendo vitam per infinita secula mereamur illâ perfrui in cælo, non amplius per manus Fidei, sed per*

claram visionem beatificam nobis porrigendâ, cuius interim cum sit causa, pignus est omnium Fidelium Christianorum securissimum.



DISCURSUS X.

Detestatur horribile illorum Sacrilegium, qui cum gravis noxæ conscientia communicant.

I. **U**as olim injurias gravissimas Soli interebant Barbari Africae populi. Prima erat illorum, qui in odium radiorum nimis ardentium ejus aspectum fugiebant, ita ut ne illius cogerentur sustinere lucem, in palustribus se vallibus absconderent. Altera erat illorum, qui atrociori insultu nunc saxa, nunc sagittas in ejus despectum per aëra ejaculabantur. Utamque hanc injuriam contra verissimum justitiæ Solem à populo Christiano renovatam deplorare cogor, eo ipso tempore, quo speciebus Sacramentalibus obvelatus, sed non repressus, millenos charitatis radios in nos diffundit. Quidam ipsi terga obvertunt, ut vidimus, mille afferendo excusationes, ne frequentiore ejus refectioe suo calore accendantur. Alij denique effertiori audaciâ illum adoriuntur, indignèque communicantes vulnera illa renovant, quæ olim in carne mortali pro nobis sustinuit. Quare cum utrumque hunc indignissimum abusum tolerare non

possim, primùmque præcedenti Discursu pluribus detestatus fuero, alterum, utpote detestabiliorem, nunc aggrediar; ut si fortè jam animos vestros invalit, eundem expellam, aut ne unquam accedat, aditum præcludam.

II. Non est monstrum magis stupendum, quàm quod ex partibus ad-versantibus componitur. Quas verò partes magis diversas, conjunctas spectare potestis, quàm in uno eodémque corde peccatum & Christum? Si Lucifer Diabolorum Princeps cum Sancto Michaelè omnium Angelorum præcipuo conjungeretur, exigua esset monstrositatis illius adumbratio, quàm quotidie toti cælesti curiæ tot Sacrilegi exhibent; primarii hujus Sacramenti finis obliviscentes, qui est Christum cum homine conjungere; *Sacramentum, quod ipsum Christum conjungit homini.* Ita definit S. Thomas. Quia verò semper res duæ horrendæ in quovis monstro considerari possunt, deformitas scilicet, quam in se continet, & damnum, quod minatur; utramque perpendimus pesti-

Diodor. Sic. rer. antiq. l. 3. c. 2. Solin. c. 39.



7. fol. Char. 1. 5. sent.

Arif. l. 4. de gner. ani. mal. c. 4.

S. Tho. 3. 2. q. 65. ar. 3. ad 3.

Opuse. 26. c. 1.

pestimam conditionem, incipiendo à prima, culpæ inquam Christum im-
pè in Sacramento recipientium incre-
dibili sceleritate, ut tantò celerius nos
hinc expediamus.

I.

III. Non est dubium, omnem Le-
gis transgressionem offendere Legisla-
torem. *Qui offendit legem, offendit Regem.* Nihilominus quando deli-
ctum immediatè personam Principis
offendit, gravior tunc est transgressio
absque ulla comparatione, & ut talis
severius, quàm alia puniatur, ipsoque
nomine magnam horrore partem
presertim; quia crimen læsæ Majesta-
tis appellatur. Omnia hæc majorem
nobis lucem afferunt ad monstruositatis à
me reprehendendæ enormitatem
dignoscendam, Quis ignorat, quo-
vis peccato Deum contempni? *Per
pravariationem legis Deum inhono-
ras,* inquit Apostolus. Nihilomi-
nus quicumque indignè communicat,
non simpliciter aut in sua Jurisdic-
tione, hoc est, in subditis suis aut præ-
ceptis Deum contempnit, sed in persona
propria vilipendit; ita ut crimen læ-
sæ divinæ Majestatis dici possit, tanto-
pere inter reliquam peccatorum mul-
titudinem enorme, sicut inter piscium
marinorum turbam, undarum horrorem
eminet balæna. Ita sentit Beatus Pe-
trus Damianus, *In reliquis, inquit,
Deum offendimus in rebus suis, hic an-
tem in persona sua.*

IV. Non parùm crescit hæc inju-
ria, dum directè se opponit fini, quem
Christus intendit, volendo corpus
suum in sanctissima Evcharistia glori-

ficari. Sciendum enim est, præcipuum
institutionis ejusdem finem fuisse in-
nocentissimæ carni suæ compensare
rigorem illum, quo eam triginta tri-
bus annis severè admodum habuerat,
haberique permisserat, & illam ei resti-
tuere gloriam, quam tanto tempore
pro salute nostra distulerat. *Pro eo, If. 60.*
*quod fuisti derelicta & odio habita, po-
nam te in superbiam seculorum.* Jure
merito quidem, quia si homines tanti
faciunt carnem suam, tantumque blandiuntur ei, quæ tamen caro est rebel-
lis & recalcitrans: *Nemo unquam car-
nem suam odio habuit. sed nutrit & fo.* Eph. 5.
vet caro; quanto convenientius erat,
suam honorari carnem à Christo, præ-
sertim postquam illa consecrata divi-
næ Justitiæ victima novam acquisivit
sanctificationem, atque ita novum me-
ritum, novumque motivum, ut summò
in honore haberetur? In hunc ergo si-
nem corpus suum reliquit in Sacra-
mento, ut illud ipsum corpus ab Ec-
clesia, & à se, cujus ille caput est, im-
posterum, quantum olim opprobrijs,
tantum omni deinceps bonorum si-
gnificatione exciperetur.

V. Quod verò honorem attinet,
quem Sanctissimo Servatoris nostri
corpori exhibet Ecclesia, is tantæ est
excellentiæ, ut Theologus quidam,
celeberrimæ scholæ antesignanus, ex-
istimet potissimum esse signum, ad
quod omnis sanctæ Ecclesiæ devotio
collimet. *Quasi omnis devotio in Ecce- 4. d. 8.*
sia est in ordine ad hoc Sacramentum. q. 1.
Templa, altaria, functiones, festa, ipsa-
que adeo reliqua omnia Sacramenta,
mirabili quâdam harmoniâ, quasi Pla-
neræ

netate in hunc ordinem sunt instituta. Neque in hoc à 3. p. 9. Scoti multum discrepat S. Thomas, 65. a. 3. qui docet, quod fere omnia Sacramenta in Eucharistia consummantur; *supple.* VI. Quod ad honorem, quem 9. 37. Christus Corpori suo exhibet in Sacramento. 2. Sancta Eucharistia, est is singularissimus. Primum quamvis Corpus Domini in hoc Sacramento in profundissima humiliationis statu contineatur, ut alias dixi, nihilominus aliunde in summo statu gloriae apparet. Eodem enim tempore in millenis & millenis per Mundum locis praesens se exhibet, adeoque certo quodam modo aliquam immensitatis speciem participat, quam nulla alia creatura, ne quidem spiritualis, unquam obrinuit. Corpus Domini, inquit Albertus Magnus, non est in omnibus locis, sicut est Divinitas; sed neque etiam est in unico loco, sicut sunt aliae substantiae; modo tamen quodam medio in cunctis, per totam terrarum orbem Ecclesiis per replicationem, quam dicimus, praesens est.

VII. Et quod plus est, in omnibus his ipsis locis virginea Salvatoris nostri Caro (ut in praecedentibus indicavi discursibus) hanc singularem obtinet praerogativam, ut in Altaribus primam quasi honoris poritur eminentiam, in comparatione sanctissimae Salvatoris nostri animae, quae etsi & ipsa sit in Sacramento, non est tamen nisi per concomitantiam: quemadmodum dicere possumus honoratum fuisse Saul respectu Davidis, quando Pastorium hunc juvenem fundam armatum ad ferum illum Gigantem

prostemendum constitutus est in Vallem Terebinthi; permistebat, regiam licet ipse conspicuus dignitate, ut ille in fronte exercitus praecedens in tanta hominum multitudine praeter omnibus conspicuus esse, & observatus. Nec est mirum. Corpus Christi, in hoc Sacramento est illud ipsum, quod ad expugnandum corpus peccati, debellandumque destinatum est, operaturque in nobis sanctificationem nostram, quam virtute Verbi ad nos vivificandum accepit. *Vivificativum Dei Verbum uniens seipsum propriae carni, fecit ipsam vivificativam.* Ita loquitur S. Cyrillus.

VIII. Nec hic est finis honoris tam sancto Corpori attributi. Quandoquidem Christum in nocte Passionis, quando hoc divinum Sacramentum instituit, existimant aliqui Sanctorum Patrum, propria illud manu accepisse, seque primum in illa coena cibasse, *ipse & conviva & convivium.* At quam ob causam putatis, Christum seipsum quoque communicare voluisse? Aliunde enim ob unionem hypostaticam erat perfectissimus, ita ut nec corroborari, nec in gratia crescere potuerit, quod est proprium caelestis hujus Cibi emolumentum. Dicetis forte, ob delectationem, quam, etsi utilitatis ratio non habetur, adfert hic cibus, hoc illum fecisse. Praeclare sentiens, haec enim est etiam sancti Thomae opinio. Sed ego procedo ulterius, & adjungo: ex quo praecipue morivo talis in Christo delectatio oriri potuit? Scire vultis unde? Inde, quod sanctissimum Corpus suum tandem tanto altificien-

In Compend. l. 6. c. 14.

sciendam honore viderit, quantum illud merebatur. Atque hæc est causa, propter quam ille ipse cum communicavit, ut Corpus suum saltem semel tam digno reciperetur hospitio, in divino collocaretur pectore, ore ipsius Dei vivi & veri manducaretur. Id quod abunde omnes irreverentias, ab hominibus in administratione sanctissimæ Eucharistiæ tolerandas, componere poterat.

IX. Sed quid interim vobis videtur de hac gloria, quam Christus purissimæ carnis suæ in Sacramento attribuit? Ab non est illa maxima? Jam vero juxta illam ipsam gloriam injurias, quas quotidie ab indignè communicantibus patitur, ponite, & videbitis, quàm illæ monstruosæ appareant, quia, ut inquit sanctus Thomas. *Quicumque hoc Sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christum unitum, & membris ejus incorporatum.* Quæ ergo conjunctio magis inaudita ab humano potest excogitari ingenio, quàm illa corporis Christi, & peccatoris eodem corpore cibati? *Unus ex verbis Diabolus est;* inquit Christus de Juda, qui primus usu sacrilego communicavit: ita ut fateri oporteat, Christum tali sacrilegio coactum Diabolo se unire. Saltem certum est, Christum domum Diaboli intrare, quotiescumque cor peccatoris sacrilegè communicantis subire cogitur; in hac domo dominatur Diabolus, & ejus claves habet Diabolus, verbo; totam illam possidet; Christus autem ibi habetur ut exitaneus, nec solum incognitus, sed etiam despectus. Qui-

busdam hic perversus ordo non tantum incomprehensibilis, sed etiam impossibilis videtur. Unde (ut refert sanctus Thomas) quidam docere ausi sunt, quod priusquam sacra Hostia labra peccatoris attingat, Corpus Christi sub sensibilibus illis speciebus esse desinat, evanescatque, ne peccatus tam sacrilegum subire cogatur, Quod licet errorem contra fidem contineat, veritati Sanctissimi hujus Sacramenti contrarium, nihilominus ostendit, quanta sit monstrositas in uno eodemque pectore Christum & peccatum collocare.

X. Considerate quæso, si potestis, quanto horrore purissimum illud Divinum cor repleatur, quamdiu, antequam calore naturali sacra species absumatur, in infornato illo hospitio morari debet. Quis unquam vel oculum claudere posset, qui ad dormiendum in uno eodemque lecto cum leproso condemnatus esset? Solus fasciarum ejus attractus, imò aspectus nauseam moveret; cogitate jam, quid futurum esset, si etiam centonibus ejusdem induere se deberet? Antiochus Rex tam potens, à divina justitia verminoso percussus ulcere, ob fetorem nimium toti exercitui, etsi longè distanti, intolerabilis factus est. Ita ut exercitus gravaretur: quid jam putatis sensisse eos, qui decumbenti inservire cogebantur? Nihilominus hujus superbi Regis vermes, & purulenta omnium totius Mundi ulcerum materia sua veolentia sine odora-
menta, si peccatricis animæ fetori comparentur, in cujus pectore toto il-

lo tempore, ut dixi, Christus permanere cogitur. Hinc est, quod ad explicandam detestabilem hanc enormitatem Deus stupendo loquendi utatur modo, exclamando per Prophetam,

Ezech.
22.26.

Coinquinabar in medio eorum. Ego qui sum ipsamet puritas, incima cordis penetrando, inquinabar, maculabar, iisdem quibus ipsi sordibus me deturbatum videbam, id quod ne quidem Sol de se diceret in omnium stercoreum colluvie existens. Coinquinabar in medio eorum.

Ine. 1.
Mal-
lach.

Polluimus panem inquit, id est corpus Christi, quando indignè accedimus ad Altare, & sordidi mundum Sanguinem bibimus. Proh rem horrendam!

Alij peccatores transgrediendo legem seipfos inquinant; sacrilegi isti, omnes malitiæ terminos excedentes, non solum seipfos maculans, sed etiam ipsum

Pausan
in Boet.

Salvatorem scdare videntur, Viperæ in Arabia, etiam si vescantur balsamo, non ideo cessant veraciter esse viperæ, sed virus suum tantummodo mitigant. Quàm maledictæ igitur viperæ sunt in Mundo, perverti isti, qui quò frequentius sacrosancto Evcharistiæ fruuntur balsamo, tanto magis suum augent venenum, & reddunt nocentius; non solum peccando creaturis abutentes, ut alij solent facere scelerati, sed ipsomet etiam Creatore. Non miror Christum malle in sordida manere colluvie, quàm in illorum pectore. Audite, an non vera loquar.

XI. In quadam Insularum Philippinarum civitate, Dulaca dicta, Adulescens quidam, sumptu sanctissimæ Comanions cum gravioris noxæ conscientia, tanto omnium viscerum dolore correptus est, ut cum diutius perferte non posset, exiens è Templo sacrosanctam Hostiam in sordidum plateæ angulum evomuerit. Quo facto quamprimùm dolor, quo affligebatur, cessavit; unde apparet Christum ostendere voluisse, tolerabilius sibi esse in viæ publicæ delitescere sordibus, quàm in peccatricis animæ pectore demorari. Parum adhuc dixi, minus invitum in luto manere Christum, unde dicere, lubentius futurum vel in Inferno. Aptior planè locus Deo esset Infernus, si culpa non esset, quam deus peccatrix. Certum est, in Inferno fore tanquam Dominum, vindicem scelerum, eò velut in exilium missorum; in peccatoris verò pectore velut Dominus traditus ad patiendum detinetur. *Filius hominis tradetur in manus peccatorum.*

XII. Quomodo ergo ibi manet? (Quis id mihi unquam edisseret?) Quid ibi agit? Quomodo in eodem habitaculo duo hostes capitalissimi, Christus & peccatum, pacifice possunt consistere? Metallum in purificationis fornace ignitum ne quidem humidi ab extra aspersi tactum colerare potest: stridet, spumat, & licet ponderosum sit, in aëra tollitur. Ita videtur omnino Christum facere debere, frigidissimo peccatoris pectore inclusum. *O generatio incredula, quam-*

quandiu apud vos ero? Quandiu vos pariar? O gentem infidelem! Quæ non agnoscis, quo cultu corpus meum excipere debeas, quandiu intra vos habitabo, quandiu feram tam inhumano modo tractari? Atque hæc minitans, videtur Christus, quasi ignis cuculo inclusus, debere scelerata, se indignè suscipientium, corda in mille frustra distinguere, ut se ex tam injurioso carcere eripiat. At non ita se res habet. Tam patiens est Redemptoris nostri charitas, ut has injurias, perinde ac non sibi illatas sustineat. Idem Dominus, qui ne quidem per momentum peccatum in cælo empyreo toleravit, sed quamprimum in Averni abyssum præcipitavit; plurium etiam annorum spatio patitur, ut in hospicio eodem cū peccato, pessimæque conscientia Corpus suum sanctissimum permaneat. Ibi ab omni parte funestam intuetur rerū faciem: intellectum invincibilibus excæcatum tenebris, voluntatem in malo inveteratam; phantasiam imundis & impudicis repletam imaginibus, omnes passiones indomitis bestiis simillimas, sensus omnes in iniquitatis instrumenta conversos. Tacet ille tamen, tolerat, nec vindicat, quamvis suo tempore in judicio horrendos instar Leonis editurus sit rogitus.

XIII. Quare non miror, sanctos Patres enorme ad eodē sacrilegium crucifigentium Christum Tyrannidi comparare, asserunt enim, indignè communicantes Passionem Salvatoris renovare, quemadmodum Christus suam renovat patientiam, novā hanc

ab ipsis crucem tolerando. Certum saltem est, Apostolum non differenti- bus, sed iisdem verbis loqui. *Reus erit corporis & sanguinis Domini* Hoc est, subjungit Glossa, *ac si Christum occiderit, punietur.* Quia licet omnes peccatores mortis Domini sui rei sint, quando ejus causam, quæ erat peccatū, renovant; nihilominus majori cum ratione asseritur, sacrilegos hosce malefactores reos esse: quia his temporibus inter alios sceleratos soli illi certā quadam violentiæ, & iniquitatis specie Redemptoris membra affligunt, personam ejus invisibilem, sed præsentem aspernando. *Reus erit corporis & sanguinis Domini.* Hoc sensu verba illa intellexerunt sancti Doctores Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Cyrilianus, aliique plures, quibus Glossa innititur. Imò iidem paulò profundius investigando, in sacrilegio indignè communicantis circumstantiss ali- quas magis aggravantes invenerunt, quàm erant illæ, quæ in verā Redemptoris nostri crucifixione intervenēre. Præcipua verò est, quia carnifices Christo adhuc viventi & mortali in terris necem intulerunt; cū hi maledicti peccatores jam regnantem: & gloriosum in cælis aggrediantur. Quis ergo non videt, quantò enormius sit delictum, Principem Regio insidentem throno injuriis afficere, quàm incognitum per sylvas ambulāntem contumelijs afficere? *Contemptor sedentis in decalo magis peccat, quàm qui crucifixerunt in terram ambulāntem in terra.* Adhæc humanitas Christi Resurrectione suā non fel.

1. Cor.
11.

Corn. à
Lap. in
hunc
locum.
Recup.
de sign.
Prædest.
cap. 18.

Glossa
in illud.
escam
meam
non fel.

non solum novam acquisivit gloriam, sed etiam Passione sua novam hanc promeruit sanctificationem, ut jam memini, quia divinae justitiae oblata fuit ut victima ad injurias ab homine, Deo illatas resarciendas; quamobrem isti scelerati majori se inquinant scelere, Corpus Redemptoris hoc tempore pessime tractando, quam olim sua culpa antiqui crucifixores, licet perfidissimi; à quibus etiam non ita perfecte, sicut hoc tempore à suis Fidelibus, agnoscebat. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent.* Sed quidquid sit de considerationibus huius, aliis magni faciendis, certum est, non posse à Salvatore nostro suam illam vocari crucem, quam illi tam temerarii præparant peccatores; sicut suam illam sibi à carnificibus præparatam nominavit. In ista enim voluntate Patris sui caelestis, Mundi salutem, mortis incertum, subjugationem Inferni agnovit, quæ tantæ crudelitatis amaritudinem dulcem effecerunt; in tam horribili autem se iniquè recipientis sacrilegio non aliud, quam abominationem, atrocitatem, & ingrati cordis malitiam intueri cogitur. Estne restantia, illi actui, quo major in terris à Christiano exerceri non potest, sacræ nimirum Communionis, si non aliud, saltem exactam præmittere confessionem? Non reperietur homo in Mundo, qui, si præcipuum aliquem hospitem domum suam invitet, non antea sordes, si quæ usquam sunt, evertat.

I. Cor.
6. 3.

XIV. Nec quisquam sibi persuadeat; se abande purgare peccatum aut saltem imminuere, si dicat, quod si non confiteatur, se actum contritionis elicere. Ego, si dicendum est, quod sentio, dubito, an contritio illa ad quidquam valeat, quam ad eum, qui sic eam abutitur, majoris sceleris arguendum. Non ignoro, dari aliquando casum, quo liceat Christiano, absque prævia confessione Sacram Synaxin sumere, modo contritionis actum præmiserit. Sed hoc intelligi debet (si sacri Concilij decreto statutus) cum duabus huius conditionibus, quæ bene perpendendæ sunt: Prima, ut urgens sit communicandi necessitas; altera, ut in hac necessitate verè Confessarij copia non habeatur, ad quem recurrere liceat. Si omitendo Communionem aliquatenus notabilem incurres infamiam, & si ad habendum Confessarium plurimas leucas proficisci deberes, sola tunc contritione præmissa, sine culpa Sacra Mensa accumbere posses, non nego: Sed hoc ipsum ob levis alicujus momenti causam cave præsumas; qualis esset, ne vulnera tua Sacerdoti nimis noto detegas, aut ne minus devotus videaris, aut diebus solennibus minus alijs dispositus. Nec tamen desunt, qui ob timores leviores modo enarratos non verentur Christum in stabulum introducere. Prohibent Sacri Canones, ne Laicorum defunctorum cadavera intra sacra septa sepeliantur, ne huiusmodi mortuos honorando, Altaria contaminentur. Quomodo igitur

igitur, non jam pannis suis (quod vel ipsum plusquam satis foret) sed etiam personam suam profana ista, non tantum inanimata, sed putrida cogitur Christus obregere corpora? ita ut quandoque inveniatur concubiniarius, qui ne Sacerdoti scelerati sui & furtivi commercii suspicionem moveat, aut ne bonae existimationis suae aliquam faciat jacturam, communicare praesumat, antequam confessione noxam eluerit, contritionis praemissa praetextu. Hoc est velle, corpus Christi non prodesse, quod est ejus proprium, ad vitam mortuis conferendam, sed eos regere, ut edo facilius in foetido suo sepulchro in vermes redigantur. Ad hunc modum Peccatores non solum se non contritos, sed temerarios & impios existimare deberent, quibus plus vel serpentes sapiant, qui, ut tradit Sanctus Ambrosius, prius ore venenum evomant, antequam ad levandam sitim, fontem accedant.

II.

XV. Verum monstra non solum ob illam, quam in se continent deformitatem, horrenda sunt, sed ex hoc etiam capite, quia plerumque datena & strages praefagiunt. Vix ejusmodi monstrum in oculos se ingerit, statim sibi in illo unusquisque, quasi in occultis mortis notis, imminentem quamdam inevitabilem calamitatem legere videtur. Verum est, Sanctum Augustinum in libro de Civitate Dei non velle nos tam facile ex monstroso aliquo eventu funesta quaelibet conjectura praecipere; quae saepius fallere

possunt. Nihilominus in re nostra sine errandi metu talia praefagire licet; adeo plerumque sunt infallibilia. Ipsamet Apostolus tale quid ore suo denunciat. *Qui manducat & bibit indignè, inquit ille, Judicium sibi manducat & bibit.* Hoc est, suam damnationem, ut S. Joannes Chrysostomus interpretatur. *Judicium sibi manducat, id est, damnationem.* Quid vult sibi tam mirabilis loquendi modus, quo utitur Apostolus? quis unquam audivit reum aliquem latam contra se devorare sententiam? aut a judice illi, dum damnatur, sterni mensam? Creditore, Charissimi, verba allata magnum in se continent mysterium. Dicere vult Apostolus, eum, qui in peccato mortali communicat, suam manducare damnationem; quia sicut cibus sumptus paulatim per omnes se corporis partes distribuit, in easque qualitates suas, sive bonas, sive malas, derivat, quae vix ullam ratione aut vi ab ipsis separari possunt, sic illa sententia, quam per modum nutrimenti sacrilegi isti devoratores deglutiunt, per omnes sensus distribuitur, omnesque animae potentias attractu suo & pestilenti contagione inficit, ita ut semper magis & magis talem per infectionem Divinae Justitiae obnoxiae maneat. Videamus, an hoc veritati sit consentaneum, paucis de utroque mali genere discurrendo, de malo culpae & malo poenae. *Judicium sibi manducat & bibit.*

XVI. Quod antecedentis culpae malitiam attinet, quae tunc animam saedat: ajo, grande hoc sacrilegium, super-

superveniens veneno suo, eam pascere & ultra mensuram augere. Sufficiat meminisse Judæ, qui licet prius esset fur (ut refert Evangelium) licet nequam & murmurator, licet alijs modis locum in corde suo dedisset Diabolo: nihilo minus non ad eodè plenè & pacificè ab ipso Diabolo possessus fuit, quam cum immundo ore communicare ausus fuit. *Post buccellam intro-*

Joan. 13. 17. ixit in eum Sathanas. Tunc enim corpus & animam infelicissimi hujus hominis pleno & stabili jure possedit, ob scelus suum potestati tenebrarum

in Psal. 108. derelictum. Datus est panis Juda, inquit Sanctus Augustinus, *per quem mancipatus est Diabolo.* Neque vobis persuadeatis velim, judicium ab istis devoratum, qui cum Juda in scelere S. Evcharistiam percipiunt, post mortem eorum duntaxat incipere. Non, non, respondet Sanctus Bonaventura; quàm primum, in ipso instanti, quo illa vescuntur, incipit. *Judicium sibi manducant & bibunt.* Equidem scelerati isti, à quibus tantà corpus Domini injurià afficitur, in pœnam gravissimæ suæ temeritatis validissimis gratiæ auxilijs privantur, quare de peccato in peccatum se præcipitantes, denique quotidie pejores fiunt. *Mutet vitam,*

Serm. 3 demp. Augustinus, nam si non mutet vitam, ad judicium sumit vitam, & magis ex ipsâ corrumpitur: Et in fausto omine ex fonte vitæ mortem haurit: post medicinam sumptam tali in statu magis erit morbidus, quàm erat, antequam Medicum accederet. *Magis ex ipsâ corrumpitur.* Balsamum cor-

pora etiamnum incorrupta servandi virtutem habet: at si cadaveri jam putrescenti adhibetur, idemmet adhuc magis ultimam ejus corruptionem accelerat. Idem evenit in casu nostro. Sanctissima Communio validissima est ad immortalitatem conferendam, quæ ideo à Doctoribus *pharmacum immortalitatis* appellatur: nihilominus indignè recepta ob tale sacrilegium ultimam peccatori infert stragem, omnesque vitæ reliquias pessumdat. *Magis ex ipsâ corrumpitur.* Extremam ecce monstri à me descripti pestem, ad eodè scilicet divinæ se opponere Bonitati, ut ubi hæc ex veneno præparatur antidotum, illa etiam ipsa antidota in venenum convertat. *Hæc omnia Eccl. Sanctis in bona: sic & impijs & Pecca. 39. 30. toribus in mala convertentur.*

XVII. Verùm malum culpæ parvi faciunt peccatores, dum illud etiam consecantur. Videamus parumper, an saltem pœnæ, quas devorant, eos abstergere valeant. *Judicium sibi manducat & bibit.* Henricus Septimus Imperator in festo Assumptionis hostiâ venenatâ interfectus fuit. *Quantò magis lechiferum virus in hæc sacrâ particulâ, quam malè consulti isti accipiunt, abscondit Diabolus! eâ ratione summam per fraudem finem pridem intentum, & à Propheta his verbis prædictum assecutus: Venite mittamus lignum in panem ejus, id est in Evcharistiam (ut hic explicat Glossa) & eradamus eum de terrâ viventium.* Interea nihilominus miseri illi sapere nolunt, & quia venenum hoc illis tempus relinquit, nec statim finalis

lis condemnationis mortem adsciscit, ideo absque timore plurimis annis mensam Dominicam accedunt, quasi nunquam illud temporis punctum sit adventurum, quo promeritas sint daturi poenas. Vae talibus, inquit Dominus, per os Sanctæ Brigittæ *Vatilibus, quod unquam nati fuerint; ipsi enim profundius cadunt in Infernum, quam aliquis alius.* Quod licet de Sacerdotibus indignè celebrantibus propriè Christus dixerit, quis credat non posse idem de Christianis indignè comunicantibus verificari? cum enim quâdam proportione ejusdem sacrilegij Rei sint, cur non etiam eâdem mensurâ iisdem involverentur poenis? Ex rore putrefacto talis nascitur rubigo, ut non nobilioribus tantum & delicatis plantis, sed vulgaribus etiam & crudis plurimum noceat. *Judicium sibi manducat & bibit.* Terreamini ergo, Charissimi, bono vestro (si forte hic aliquis vestrum tam monstriosi sibi delicti conscius esset) & considerate, quod si tribunalia hujus terræ vel solum in criminibus læsæ Majestatis puniant

l. quis. affectum: Punitur affectus, etiam non qui secundo effectu; quàm rigorosum non ad Jul. turorum sit in tali scelere tribunal Maj. Divinum, quod non solum affectu, sed opere ipso tantam propriæ supremi Regis personæ adfert læsionem? sentent. P. Domini corpori inferitur., inquit S. Lib. de Cyprianus. Nolite fidere, quod nullos modò divinæ iræ effectus sententis, nondum enim vindicandi tempus advenit. Quare bene perpendatis velim, quod sicut monstrum in utero conceptum vix ullum, maximos verò par-

tus tempore dolores affert: eodem modo præsentis tempore enormia hæc sacrilegia multis videntur tolerabilia, quia in peccatore abscondita geruntur; at quàm horrendam erit, quando tempus aderit, ut in lucem prodeant coram illo tribunali formidabili, quod ea tantopere execratur; Tunc profecto peccatores isti experientur, quantos dolores similis partus adferant! Audite & stupete.

XVIII. Sub annum nongentesimum quadragesimum Magdeburgi in Saxoniam Episcopus erat, qui licet lupum pastoris habitu tegeter, non tamen ita scelera abscondere potuit, quin pravo exemplo esset ovibus; eò perverfitatis jam devenerat. Udo illi nomen erat, & licet adhuc puer à Beatissimâ Virgine, cujus opem implorârat, tantam ingenij præstantiam imperrârit, ut cum discipulorum suorum antea esset postremus, omnes subinde alios antecelleret, nihilominus tam ingratum erga benefactricem suam se exhibuit, ut ingenio suo ad nihil aliud usus fuerit, quàm ad sanctissimum ejus filium offendendum. Interea cum malitia ejus mensuram suam abunde jam adimplèsser, accidit, ut quidam sanctioris vitæ Canonicus, Fridericus appellatus, pernocians in Ecclesiâ Cathedrali Sancti Mauritij, ardentissimis precibus Deum rogaret, ut tandem enormia ab hæc Ecclesiâ scandala removeret. Cùm ecce repente vehementioris venti afflata omnia, quæ in templo erant, lumina extingui vidit. Nec multo post duos Juvenes venire, duo

Canis. l.

5. de

M. V. c.

20.

Fulgos.

l. 9. c.

10.

candelabra accensis cereis ferentes, & Christum cum Beatissimâ matre suâ, atque Apostolis, pluribusque Sanctis, qui ordine bini & bini accedebant, subsequi, geminis tandem Christum & Parentem ejus, medium illud pulcherrimum agmen transeuntes, insidere thronis. A quibus cum vocati essent Sancti, quorum corpora in templo illo quiescebant, visus est inter eos Sanctus Mauritius venire, qui longâ atque gravi oratione Udonem Episcopum accusavit, velur Ecclesiæ profanatore, terrumque totius populi scandalum, hunc proinde Christus Judex ad dicendam causam evocari iussit. Nec mora; quamprimum duo Angeli avolantes Episcopum è lecto, in quo altum stertebat, sublatum, momento ad Thronum illum Majestatis plenum adducunt. Cogitate, quàm miser ille ad hoc spectaculum inhorruerit, & tantò magis, quando clarâ voce rotius nefandæ vitæ suæ seriem legi audivit. Unde obmutescens ibi saxo rigidior & immobilior stabat. Jubet proin Christus, ut miser poenâ, jam satis diu dilatâ, afficiatur; quo dicto statim Angelus ad amputandum illi caput ensi manum admovent; sed à socijs duobus vicinis inhibitus admonetur, prius sacram Hostiam ex scelerati hominis pectore tollendam, quam die præcedenti in missæ Sacrificio sumplerat, quæ ad majorem ejus perniciem etiamnum integra ibidem persistebat. Simul ergo Altare accedentes summâ cum reverentiâ Sacram pixidem auferunt, in quam ab uno Angelorum pu-

gno graviter in renibus idus, miser pœnam Angelorum evomuit; denique quasi reus solenni ritu gradu motus, securi percussus fuit. Atque hæc scena, pro infelicissimo illo nimis vera, dein videri desijt. Quare vehementer territus Fridericus, cum ad Altare accessisset, calicem in eo esse cum hostiâ inspicxit, cujus prædianâ susceptione miserimus scelerum suorum mensuram impleverat, Episcopus vero, cum diluxisset, suo in strato mortuus reperitus est. Quid ad hæc dicitis Charissimi? Videte, quantum dolorem illud factilegij monstrum misero huic attulerit, quod in conceptione quotidie tam parum ipsi nausæ pepererat! quis Christianorum huic in culpâ vellet esse socius; poenam tamen à se evitandam speret? *Revelatur ira Dei de Cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum, qui veritatem Dei in injustitiâ derident.* O quanta impietas, o quanta injustitia, tam indignè Christum Jesum, veritatem & Sapientiam Patris tractare, & quasi captivum in Inferni barathro deridere! sed quid fiet tandem? ira Dei, quæ nunc est abscondita, suo tempore manifestabitur. *Revelatur ira Dei.* At o quanto poenarum pondere illos opprimet, quicumque tot & tantis Deum injurijs affectere!

XIX. Ecce igitur summam sententiæ contra hosce proferendæ à Prophetâ expressam. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.* Hæc verba, inquit S. Augustinus, non sunt imprecantis mala, sed ferentis senten-

Hier. *iam. Fiat mensa eorum coram ipsis in*
laqueum. Quàm mirabilis iste lo-
 68 quendi modus? Atamen aptissimus
 est ad enorme indignè communican-
 tiam scelus exprimendum. Quia ta-
 les non solum labuntur, ut alijs pec-
 cantibus contingere solet, sed labun-
 tur, & labendo laqueo implicantur;
 raro enim solent resurgere, sed in
 peccatis suis derelicti divinæ Justitiæ
 vindicandi reservantur. Physici ob-
 servant, ab animalibus perfectis com-
 munitè non gigni monstra, gigni
 duntaxat ab imperfectis. Ita in re
 nostrâ, non potest esse, nisi anima vi-
 lissima, omni vituperio plena, Chri-
 stianòque nomine indignissima, quæ
 tam monstrosam producit abortum.
Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum,
 Progrediamur ulterius: *Et in retri-*
butiones. Hic Propheta advertit pec-
 nam delicto tam horrendo responden-
 tem, quæ duplex est, una in hoc Mun-
 do, altera in futuro.

XX. In hoc Mundo oportet, ut vi-
 tam agant inquietissimam: angustian-
 tur enim à cibo illo debili stomacho
 suscepto, ut quæqua versum illorum
 agiteretur conscientia. Quis nescit im-
 14. pio non esse pacem? *Non est pax im-*
pijs, dicit Dominus. Sed profectò
 multò minùs hi miseri gaudere pos-
 sunt, quasi, qui plusquam alij aper-
 tum ante oculos suos Infernum co-
 guntur intueri. Clarissimum præde-
 stinationis signum (omniura senten-
 tiâ) est, posse ex malis elicere ho-
 num, etiam ipsa peccata in majo-
 rem animæ utilitatem convertendo,
 quemadmodum apes apparatus in dul-

ce transmutant. *Scimus quoniam di-*
ligentibus Deum, omnia cooperantur in
bonum, ijs, qui secundum propositum
vocati sunt Sancti. A contrario igitur,
 clarissimum Reprobationis signum est.
 ex bono elicere malum, cum araneis
 dulce convertendo in amarum. Sed
 ita faciunt conscelerati isti. Sugunt
 non solum malum ex bono, sed ex
 summo bono, ab omni boni largito-
 re, à Salvatore illo, quem in sacrâ
 Communionè domum suam intro-
 ducunt. Iedòque si alijs Reprobis
 propheticâ imprecatione dici potest,
oratio ejus fiat in peccatum, cuius
 horum etiam occini potest: *Salvator*
ejus &c. Cùm isthoc autem tam hor-
 6. rendo reprobationis signo, quale est
 hoc, existimabitis illos unquam ali-
 quâ pace gaudere posse? Non est pos-
 sibile. Judas postâ jam in ruinam
 Magistri sui prodicione, ausus est ad-
 huc manum in lancem extendere,
 imò adhuc quærere, quasi jocando,
 aut spernendo, an ipse proditor esset,
 de quo in afflictissimo illo cœtu age-
 batur? *Respondens autem Judas, qui*
tradidit eum, dixit, nunquid ego sum
Rabbi? At postquam in peccato ausus
 26. 25. est communicare, quiescere porro
 non potuit. Coactus est instar ful-
 guris ex omnium oculis se proripere.
 Tanta fuit perturbatio, quam in se-
 ipso, cùm se jam perditum videret,
 expertus est. *Cum ergo accepisset ille*
buccellam, continuo exivit. Idipsum
 evenire necesse est illis, qui Judam
 13. 30. imitantes solo hoc fine communi-
 cant, ut peccata sua abscondant, non
 autem emendent. Necesse est ob-

certitudinem damnationis suæ jam jam imminantis, quietos vivere non posse. *Si enim corripitur, inquit S. Augustinus, qui non dijudicat, id est, non discernit, corpus Domini à cæteris cibis, ut faciunt, qui exiguâ cum præparatione cominquant, quomodo non damnabitur, qui ad ejus mensam, fingens se amicum, accedit inimicus? Ut faciunt, qui noxæ gravis sibi conscij ad hanc mensam accedunt.*

XXI. In altero Mundo verò, quæ pœna poterit esse condigna ad sceleratorum istorum temeritatem puniendam? Apud Tribunalia hujus Mundi plerumque delicta cum reis morientibus moriuntur. Si verò sint læsæ Majestatis crimina, alius omnino pœnæ modus & ordo servatur. Tunc enim Justitia humana Jurisdictionem suam ultra limites à morte & tumbâ fixos conatur extendere, & vel ipsos defunctos ad supplicium vocat, aperit sepulchra, ossa comburit, & perduellium cineres, ventorum turbibus dissipandos relinquit, ut omnis tam enormium reorum memoria extingatur. Judicate jam, quid justitia divina sit factura, quomodo post mortem hujusmodi violatorum corpora sit tractatura. Anima quædam sancta non ita pridem assistens Sacro, à Sacerdote in peccato mortali facta, vidit tam dira contra Jesum exerceri, ut credi vix possent, ita ut tanquam innocentem Agnellum, summâ eam Angelorum ibidem præsentium mœstitiâ, quòd eum juvare non possent, ingenti verò Diabolorum tripudio, ad lanienam raprati

viderit; proin inflàmata Zelo, Deum alloquens exclamavit: quomodo est possibile, quomodo est possibile, mi Deus, ut tantas injurias absque ullo vindictæ, aut indignationis signo perferas? Cui Deus respondit: filia mea, non miretis, peccatum illius, qui indignè me recipit, est tantæ enormitatis, ut ordinariè in hac vitâ non puniam; quia supplicium in hac vitâ illi condignum infligi non potest; futuræ castigandum seruo.

XXII. *Fiat ergo fiat mensa eorum in laqueum, & in retributionem, & in scandalum.* Scandalum in eo est, quòd tam superbo & temerario in personam Christi asu omnes cæli incolæ contristentur: mœrent enim Angeli, videntes panem illum, qui ipsorum proprius est, canibus obici, cujus singulari omnino favore participes factus est homo. *Panem Angelorum manducavit homo* Constat, itatur Sanctissima Virgo, cui in hunc ipsum Panem vitæ particulare jus competit, unde jure merito panem suum appellat: *Venite, comedite Panem meum.* Quia sicut Christus Redempturus hominem, id præcipuè spectavit, ut præ omnibus aliis Matrem suam redimeret, & ejus bono omnes sudores suos, mœrita & mortem suam applicaret; ita etiam dicere possumus instituendo Eucharistiam maxime id habuisse propositum, ut munere aliquo Matrem donaret, quæ soli præ quàm cuncti alij, illud sciret pro merito æstimare. *Venite comedite panem meum.* Et tamen ipsa panem hunc enormi sceleratorum

l. post. divi.

Marci.

C. ad.

leg.

Ful.

Majest.

Anl.

Clar. l.

5. sent.

ent.

rum istorum culpâ in venenum mutatum intueri cogitur. Contristatur Spiritus Sanctus, qui corpus hoc Deificum tam stupendo miraculo in utero Virginis à se efformatum, nunc toties in lapinaria portari conspicit. Contristatur Pater æternus, qui cum Filium suum eo sine manere voluerit in Mundo, ut eundem probè à se cognitum, Christiani venerarentur, *ver-*

Matth. bñtur filium meum; videt injurias 22. 37. contra illum atrociores à Christianis ipsismet repeti, quàm quas moriturus à Judæis sustinuit. *Rursus crucifigentes Filium Dei.* Præ omnibus verò contristatur Filius Dei ipsemet, cujus persona, quæ immediatè sanctissimam illam sustentat humanitatem, se specialiter omnibus hisce injurijs, nullâ ratione sui habitâ, illatis, onerari patitur. At quid tandem fiet? Eriget mirum ille paulò post suum Tribunal, omnibusque hujus Sacrilegij reis ad illud evocatis, vultu irato exprobrabit: *quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* Quomodo ausus es, *Matth. 22. 12.* ô scelerate, ad eò indignè mensam meam accedere? Sordida illa vitæ tuæ nefariæ vestimenta etiam in Ecclesiam intrandi animum tibi auferre debuerant; tu verò hac non contentus temeritate, ut filius, mensæ meæ accumbere non erubivisti, cum esses filius per-

duellis. Vel oculos in me coniecere, nullâ suffusum verecundiâ, audax facinus videri poterat malè sibi confecto. Quomodo ergo tantâ majore impudentiâ in cor tuum me recipere non dubitâsti, eodem cum Diabolo, quem mihi ipsi præposuisti, cubili reponendum; *Quomodo huc intrâsti?* Atque his auditis, nullâ morâ, nec hircere, nec respondere quidquam ausi, ob flagitij, cujus Rei peracti sunt, enormitatem ligatis manibus & pedibus, hoc est, quin possint impostero quidquam boni operari, aut desiderare, Sacrilegi isti ad æternas tenebras condemnabuntur.

XXIII. *Evigila peccator, oppor-* *De Pa-*
tunè hic admonet Sanctus Pacianus, *nir.*
time in visceribus tuis presens judicium. *Bibl.*
Evigila peccator è tam periculoso le- *PP.*
thargo, & si huc usque sententiam Ju-
dicijs, quam diu differendam putabas,
non timuisti, saltem jam expavesce,
cogitâque, eam te in vita & visceribus
gerere, quam iniquè Pane cælesti ves-
cendo jam dudum devorasti. *Time*
in visceribus tuis presens judicium. At-
que ita timor hic tam salutaris efficiet,
ut quamprimùm venenum illud evo-
mas, quod jamjam cor tuum corripit,
ad certam necem inferendam, si vel
tantillam in malo curando mo-
ram traxeris.



DIS-